

recidivis, de occasione proxima, aut de pœnitentibus diu in cœno gravium peccatorum volutatis, id juris ad absolutionem pœnitens acquisivit, ut sine gravi injuria, et contemptu, atque abusu Sacramenti Confessarius denegare eandem non possit. Ad hæc, quisquis ex notitia complices in confessione habita, quamquam licentia pœnitentis confisus complicem corrigendum suscipit, scandalis non paucis obnoxius est. Indignatur enim quicumque secreta sua crimina detecta videt, suæque famæ vulnus illatum apud Confessarium. In querelas igitur is facile erumpet, et Sigillum Sacramentale fractum suspicabitur, et Sacerdotem veluti proditorum tanti Sacramenti habebit, quæ certe in perniciem Religionis vergere possunt. At quanto graviores tragœdias excitabit complex, ubi resciverit, non sponte factam, sed extortam fuisse in confessione revelationem sui nominis, atque licentiam revelatione illa utendi? Nam sine hac licentia fracti Sigilli reus foret Sacerdos. Igitur intolerandæ imprudentiæ, et zeli sine scientia facinus hic habes. Deinde tametsi sine dolo malo, et in bonum tantummodo finem complices nomen Confessarius detegendum curaret, fieri non posset, quin hominum malitia id tentatum arbitraretur in pravum aliquem finem, ex quo non levis invidia, atque odium adversus ipsum Sacramentum conciperetur. Et sane quum inter tot probos Ecclesiæ Ministros vix fieri possit, quin aliquis interdum a concupiscentia in transversum agatur, et in venenum convertere possit, quæ Christus Dominus in medicinam nostram instituit. Satis ejusmodi periculum foret, ut omnino præcluderetur in posterum aditus ejusmodi interrogationibus minime ad Sacramentum necessariis, et tam facile scandala, et perniciem animarum parituris. Propterea sapientissime Summus Pontifex in Decretali addidit: « Nec fieri potuit, quin ea de causa et oblocutiones, et scandala, et non Ministrorum tantum, sed Sacri etiam ipsius Ministerii odium, et Animarum ingens perturbatio in populo fideli exorta sint. »

In alterius vero Constit. Comment. iterum, ait, conficitur quæcumque perversa Confessarium Curiositas, ac præcipue negantium absolutionem renuentibus revelare complicem, eosque a Sacra Inquisitione puniendos S. Sedis decerni: « Dummodo tamen hujusmodi interrogandi, ac denegandi actus talibus circumstantiis conjunctus sit, ac investitus; quæ sic agentem Confessarium de adhæsiōe ad prædictam reprobam praxim, tamquam ad licitam, vel alio quovis modo de prava credulitate suspectum reddant. » Si ejusmodi circumstantiæ desint, deferendus non erit ille ad Inquisitionis Tribunal. Non desunt sane Confessarii simplicitate laborantes, qui melius conscientia pœnitentis se prospicere posse aliquando putent, si nomen Complicis audiant. Fieri potest, ut nulla malitiæ suspicio in ipsos cadat: quod non difficile prospici potest. Quum exempli causa de furtis, de fraudibus, de periclitante alicujus honore agitur: tum bonus Confes-

sarius (imprudenter fortasse) exquirat complices nomen, consilium, ut sibi videtur, opportunum daturus. Hic tamen illius error ad cognitionem Inquisitorum non pertinet. Idem infra aliis disertis verbis inculcat Pontifex inquiens: « Quod si Confessarii de complices nomine perperam interrogantis, absolutionemque, ni sibi detegatur actum denegantis contingat ejusmodi esse, ut quamvis imprudens, et malus, simplex tamen quidam, et nudus actus fuerit, id est iis circumstantiis destitutus, quæ de prava credulitate vel de mala adhæsiōe ad praxim in sæpedito nostro Brevi reprobam tamquam illicitam, et nudum actum interrogantis, neque denuntiationis oneri, neque Sancti Officii prædicti cognitioni subjectum erit, sed de illo cognoscere, atque in delinquentem Confessarium per suspensionem ab audiendis confessionibus, vel alias Canonicas, et legitimas pœnas pro dilecti modo animadvertente ad locorum Ordinarios in sua cuiuscumque diœcesi omnino spectabit. » Rectissime hæc, nam ea, quæ errorem, aut suspensionem erroris contra dogmata Fidei, aut opiniones scandalosas, et perniciosas, a Sede Apostolicâ damnatas, minime continent, ab Inquisitionis jurisdictione semota sunt. Æquissimus vero Pontifex nihil voluit imminutum de ordinaria jurisdictione Episcoporum, quam tamen læsam ab Inquisitore Generali iidem, ut supra vidimus, expostulabant.

Itaque si quis cognoverit quemquam e Confessariis deliquisse modis in Pontificio Brevi expressis, obligatur ad illum denuntiandum Sancto Officio intra terminum triginta dierum, tunc solum cum circumstantiæ occurrunt, quæ indicent, aut justæ suspicioni locum præbeant, Confessarium credere licitam hujusmodi interrogationem, quæ intrinsece illicita sit, nisi forte legitima aliqua causa interrogandi, de qua supra egimus intercedat. Ad hoc etiam, ut denuntiatio faciendâ sit Sancto Officio, exigit Pontifex, ut Confessarius Sacramentalem absolutionem pœnitenti denegarit. Exceptionem alteram nunc accipe. « Verumtamen, subdit Pontifex, ab hujusmodi onere justis de causis eximi volumus, et eximimus personam ipsam Pœnitentem dumtaxat in causa propria, id est in casu, quo suum peccatum » confitens, a confessorio adigatur ad sibi manifestandum nomen complices in eodem peccato; tunc enim pœnitentem hujusmodi ab obligatione eundem Confessarium denuntiandi liberamus. Sed quando aliunde, quam ex propria, ut dictum est confessione, noverit, Confessarium aliquo ex superius enumeratis, et Sancto Officio denuntiandis modis deliquisse; tunc eum, et ipse denuntiare ex ista aliunde habita notitia teneatur.

ARTICULUS IV.

Confessarius monialium tam ordinarius quam extraordinarius.

(1. Monialium Confessarii non possunt

eligi ab Universitate, nempe ab ipsis monialibus, sed eligi debent, et approbari ab Episcopo loci pro Monasteriis sibi subjectis; Sac. Congr. Epis. et Regul., in Lauretana 20 Sept. 1588, in Tuscul., 25 Octob. 1601, in Regien. 4 Septemb. 1602; in Valisoletana 26 Octob. 1604 (2. Pro monasteriis autem Regularibus subjectis eligi, et deputari debent a suis respective Superioribus Regularibus; arg. ex Conc. Trid. sess. 23 de Regul. et Monialib. cap. 10; ex Clement. Dudum, de Sepulturis § Statuimus, et ex Constit. Gregorii XV. incip. *Inscrutabili*. Sed tamen debent ab Episcopo Diœcesano ideonei judicari, et approbari ut expresse statuit d. Gregorius XV. in cit. Constit. *Inscrutabili*, ibi: « Confessores vero, sive Regulares, sive Sæculares, quomodocumque exempti, tam Ordinarii, quam Extraordinarii, ad Confessiones Monialium etiam Regularibus subjectarum audiendas nullatenus deputari (scilicet per Superiores Regulares) valeant, nisi prius ab Episcopo Diœcesano idonei judicentur, et approbationem, quæ gratis concedatur, obtineant. »

(3. Potest tamen Episcopus in aliquibus casibus deputare Confessarium Sæcularem, seu Regularem etiam alterius Religionis Monialibus exemptis, quando scilicet nulla ratione induci possunt, ut peccata sua Regularibus confiteantur; Sac. Congr. in Regien. apud Pignatell. tom. 8, consult. 53, num. 5. Vel si injuste denegetur Confessarius a proprio Prælato; ead. S. Cong. ex Naldo verb. *Episc.* n. 13. et sequitur D. Cajetanus de Alexandris in Confessario Monialium c. 6, § 13, q. 1. (4. Et quod Episcopus in casu negligentia Superiorum possit deputare Confessarium Extraordinarium Monialibus Regularibus subjectis, decrevit expresse S. C. Concilii in Carducen. 12 Julii 1638, ubi cum ad instantiam Monialium S. Clare quæsitum esset: « An habere possint Confessarium Extraordinarium ab Episcopo Diœcesano, non obstante contradictione Superiorum Regularium, quibus eadem Moniales subjiciuntur; Respondit. Habere posse Confessarium extraordinarium ab Episcopo Diœcesano in casu negligentia Superiorum Regularium: » Sic apud Monacell. p. 2, tit. 13, formul. 15, num. 6.

(5. Insuper potest Episcopus ex juxta, et rationabili causa Superiores admonere, ut ejusmodi Confessores amoveant, et si Superiores id facere detrectent aut negligent, potest ipse prædictos Confessores amovere, quoties, et quando opus esse judicaverit. Sic expresse statuit Gregorius XV, in d. Constit. Incip. *Inscrutabili*, ubi: « Liceatque Episcopo ex rationabili causa Superiores Regulares admonere, ut ejusmodi Confessores, atque Administratores amoveant; iisque Superioribus id facere detrectantibus, aut negligentibus, habeat Episcopus facultatem prædictos Confessores, et administratores amovendi, quoties, et quando opus esse judicaverit. »

(6. Nec Episcopus tenetur ejusmodi causam significare Superioribus Regularibus, ut ex-

presse decrevit S. C. Conc. in responsione ad duodecimum ex dubiis circa dictam Constitutionem Gregorii XV, incip. *Inscrutabili*, resolutis, approbante eodem Gregorio XV, et Urbano VIII, qui dictas responsiones et declarationes typis Cameralibus imprimi jussit de anno 1623, apud Barbosam super Conc. Trident. sess. 23, de Regul. et Monial. c. 3, a n. 7. Fagnan. lib. 5, decr. in cap. Cum Cappella, de privill. in fine, et apud Tamburin. de Monial. disp. 26, quæsit. 3. Dictum autem dubium duodecimum conceptum erat his verbis: « Duodecimo cum in eadem Constitutione statutum sit, ut liceat Episcopo ex rationabili causa Superiores Regulares admonere, ut amoveant Confessores Monialium, atque Administratores bonorum ad earumdem Monialium monasteria pertinentium iisque Superioribus id facere detrectantibus, habeat Episcopus facultatem prædictos Confessores, et Administratores amovendi, quoties, et quando opus esse judicaverit. An ejusmodi causam Episcopus significare teneatur Respondit: Ad duodecim non teneri ejusmodi causam significare Superioribus Regularibus; sed hoc relinqui arbitrio et prudentia Episcoporum, quorum conscientias Sacra Congregatio serio oneravit, ne facultate sibi hac in parte attributa quoquo modo abutantur ejus rei in districto Dei judicio rationem reddituri. »

(7. Confessiones Monialium sibi subjectarum audite a Confessariis Regularibus sine approbatione Episcopi sunt irritæ, et nullæ; Ead. Sac. Congr. Conc. Vide verb. *Approbatio*, art. 3, num. 3.

(8. Neque Superiores quicumque, etiamsi sint Generales, possunt sine approbatione Episcopi audire Confessiones Monialium sibi subjectarum. Vide d. verb. *Approbatio*, art. 3, num. 4.

(9. Licet iidem Confessarii sint generaliter approbati ab Episcopo ad audiendas Confessiones sæcularium, adhuc est eis necessaria specialis approbatio pro Monialibus sibi subjectis. Vide ibid. n. 3.

(10. Nec approbati ab Episcopo ad audiendas Confessiones Monialium unius Monasterii censentur approbati ad audiendas Confessiones Monialium alterius Monasterii. Vide ibid. n. 6.

(11. Etiam Confessarii extraordinarii indigent speciali approbatione Episcopi. Vide ibidem num. 7.

(12. Nec semel approbati censentur semper approbati. Vide ibid. n. 8.

(13. Nec in vim unius approbationis possunt pluries Monialium etiam ejusdem Monasterii Confessiones audire, sed toties debent ab Episcopo approbari, quoties casus deputationis contingerit. Vide ibid. n. 9.

(14. Immo tales Confessarii indigent approbatione Ordinarii ad audiendas Confessiones Monialium sibi subjectarum, non obstante etiam contraria consuetudine immemorabile. Vide ibid. n. 10.

(15. Confessarii non approbati specialiter ad audiendas Confessiones Monialium, ne-

queunt earum Confessiones audire, neque tempore Jubilæi. Vide ibid. n. 11.

(16. Approbatus pro Monialibus unius Monasterii, neque tempore Jubilæi censetur approbatus pro Monialibus alterius Monasterii. Vide ibid. n. 13.

(17. Confessarius præsentatus ad excipiendas Confessiones Monialium Regularibus subjectarum debet, vel absolute rejici, vel per totum triennium approbati, non vero ad tempus brevius. Vide ibid. num. 12.

(18. Nulla ex monialibus subjectis Regularibus sentiens se non gravatam mortali culpa, potest de venialibus valide confiteri Sacramentaliter cuicumque Sacerdoti non approbato ab Ordinario. Vide ibid. n. 14.

(19. Confessarii Monialium durare possunt solum triennio, quo elapso, non possunt amplius audire Confessiones in eodem Monasterio per aliud tempus absque licentia Sacre Congregationis, alias declarantur suspensi ab audiendis Confessionibus; S. C. Epis. in Comen. 4. Martii 1591. in Ragusina 2. Octobris 1626. et 27. Martii 1647. et sæpe alibi. (20. Quod habet locum etiam in Confessario Conservatorii puellarum, vel aliarum quarumcumque mulierum; ead. Sac. C. Epis. 18. Martii 1649. et in Lucensi 25. Julii 1655. (21. Confessarii vero Dominicani, et Cassinenses non possunt durare in hujusmodi Officio audiendi Confessiones Monialium, nisi per biennium ex eorum Constitutionibus. Ead. S. C. Epis. 17. Novemb. 1645. et 8. Junii 1657. (22. Si autem esset quis deputatus Confessarius ad aliquot menses per modum supplementi, poterit iste in generali deputatione Confessarium, quæ postea fiet, ab Ordinario. eligi in Confessarium ejusdem Monasterii ad integrum triennium, quia prohibitio Sac. Congregationis de non eligendo Monialium Confessario ultra triennium, cum sit odiosa, benigne, et in mitiorem partem est interpretanda, arg. cap. *Odia* 15. de Regul. Juris in 6. et cap. *In pœnis* 49. eodem in 6. ita ut intelligatur de ea, quæ sit per modum supplementi. Sic expresse D. Cajetanus de Alexandris in Confessario Monialium cap. 6. § 6. quæ. 3. et alii.

(23. Confessarius, si expleto triennio ex dispensatione Sacre Congregationis eligatur ad aliud triennium, non potest rursus expleto secundo triennio absque alia dispensatione eligi ad tertium triennium. Vide verb. *Abbatissa*, ubi sic fuit dictum in simili de ipsa confirmata ad aliud triennium per dispensationem, et fuit conclusum non posse eligi ad tertium triennium sine nova dispensatione, et fuit ad id allatum Decretum Sac. Congreg. deputatæ ab Innocentio XII. pro causis Congregationis Cassinensium 26. Februar. 1694, in responsione ad quintum dubium.

(24. Confessarii Monialium non possunt esse Vicarii Generales, quia Moniales de ipsis non confiderent; Sac. Congr. Episcop. in Sorana 23. Julii 1587. in Mutinen. 3. Februar. 1597. (25. Neque Parochi, si exinde cura notabiliter pateretur. Ead. Sac.

Congreg. Episcop. in una Venetiarum 26 Julii 1594. in Parmensi 7. Martii 1652. in Taurinensi 2. Aug. ejusdem anni, et sæpe alibi. (26. Neque Minores Conventuales, quibus id prohibitum fuit a S. Pio V. Ead. Sac. Congr. Episcop. et Regul. in Ortonensi 30. Jun. 1599. et in Neapolit. 20. Mart. 1621. (27. Neque Observantes Provinciæ Reformatæ S. Antonii Lusitanæ, quibus prohibitum fuit a Sac. Congr. sub die 7. Novemb. 1653. (28. Et generaliter Regulares, non solum non possunt esse Confessarii Ordinarii, sed neque Cappellani Monialium Ordinarii subjectarum. Sac. Congreg. Episc. in Pistorien. 16. Maii 1653. (29. Unde Ordinarii non possunt uti opera Confessarium Regularium etiam pro Confessariis extraordinariis, nisi in casu necessitatis eadem Sac. Congr. Episc. 18. Decemb. 1601. apud Nicol. in Floscul. verb. Moniales num. 33. et sub die 1. Octob. 1602. apud Barbosam lib. Juris Eccles. univ. cap. 44. num. 127. Et ad id Tamburin. de Jure Abbatis, disp. 16. q. 2. num. 4. refert duas Epistolas Sacre Congregationis directas Patriarchæ Veneto in quarum prima 12. Maii 1617. ei prohibuit, ne Regulares sine licentia Sacre Congregationis deputaret Confessarios Monialium sibi subjectarum; et in altera die 7. Jun. 1620. eidem concessit, ut ob penuriam Sacerdotum sæcularium posset prædictos Regulares deputare ad subeundum munus prædictum.

(30. Sic etiam, licet Parochi ex dictis supra num. 25. non possint regulariter deputari Confessarii Monialium, possunt tamen, si exinde cura notabiliter non patiat; et ad id Tamburin. loc. cit. n. 4. refert pariter duas Epistolas Sacre Congregationis directas Patriarchæ Veneto, in quarum prima die 17. Martii 1592. id ei prohibuit propter præjudicium Parochianorum, et detrimentum animarum; et in altera die 22. Febr. 1593. id ei concessit, ubi non adsit tale præjudicium, et detrimentum animarum; idem etiam concessit S. C. Conc. in una Salutiarum in responsione ad primum die 20. Sept. 1642. (31. Sic pariter licet regulariter Canonici Pœnitentiarius non possit deputari Confessarius Monialium, ubi non valeat utriusque muneris satisfacere, ex adductis a Pignatell. tom. 7. consult. 13. an. 1. potest tamen deputari ubi valeat utrumque munus adimplere, ut censuit S. C. Conc. in Januen. 11. Septemb. 1666. apud eundem Pignatell. loc. cit. n. 4.

(32. Præter Confessarium Ordinarium debet etiam alius Extraordinarius ab Episcopo, et aliis Superioribus bis, aut ter in anno Monialibus offerri. Sic expresse statuit Concilium Trid. sess. 25. de Regular. et Monialib. cap. 10. ibi: « Præter Ordinarium autem Confessorem alius Extraordinarius ab Episcopo, et aliis Superioribus bis, aut ter in anno offeratur. » (33. Potest tamen Confessarius Extraordinarius eis concedi a Superioribus per plures vices, quam ter in anno, quia Concilium Tridentinum statuendo, quod Confessarius Extraordinarius offeratur bis, vel ter in anno, non limitat Super-

riorum facultatem solum ad tres vices, sed solum indicat, quod per pauciores vices non debeat, non autem, quod per plures non possit. Sic decisum fuisse refert ex Gallego Bordonus resolut. 5. n. 11. Pellizar. de Monialib. c. 10. n. 250. et alii.

(34. Moniales nequeunt recusare unum Confessarium Extraordinarium, seu Ordinarium, et alium petere, nisi assignata justa causa recusationis; tunc enim, ipsa justa causa interveniente, possunt ipsum recusare, quia is comparatur Parocho, quem ex justa causa populus recusare potest, arg. cap. *Ut circa exactiones* 4. de election. in 6. cum similibus; Bordon. in Miscellan. decis. 166. D. Cajetanus de Alexandris loc. cit. cap. 6. § 6. quæst. 5. et § 13. quæst. 5. et alii passim. (35. Possunt tamen Moniales etiam sine causa recusare Confessarium Extraordinarium, nullo alio loco ipsius petendo, quia Confessarius Extraordinarius inductus est in earum favorem; quisque autem potest sine causa Juri suo renunciare. Cap. *Si diligenti* 12. de foro competet. et cap. *Si de terra* 6. de privilegiis, ibi: « Cum liberum sit cuique Juri suo renunciare; » Tum quia dicit Regula 61. Juris in 9. « Quod ob gratiam aliquid conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum. » Sic Monacell. part. 1. tit. 9. formul. 4. num. 4. Donat. prax. rer. Regular. tom. 4. tract. 13. quæst. 23. D. Cajetanus de Alexandris loc. cit. cap. 6. § 13. quæst. 5. Bordon. in Miscellan. decis. 166. Tamburin. loc. cit. disput. 26. q. 1. n. 8. Pellizar. loc. cit. cap. 16. num. 270. et alii.

(36. Moniales quamvis, si nolint, non teneantur omnes Confessario Extraordinario confiteri, per adducta num. antec. tamen coram ipso debent omnes successive se præsentare, etiam quæ confiteri nolunt, ne discerni possit, quænam indigeant, nec ne. Sic expresse statuit Sacra Congr. Episcop. in Tornacensi 19. Octobris 1621. in Canariensi 26. Julii 1651. apud Pignatell. tom. 6. consultat. 85. num. 235. et novissime mandante Clemente XI. statuit pro Monialibus Urbis Eminentissimus Cardinalis Vicarius Gaspar Carpineus in suo Edicto 12. Decemb. 1708. quod ut scitu dignum, hic ad literam datur.

EDICTUM

NORMAM PRÆSCRIBENS CONFESSARIIS ORDINARIIS, ET EXTRAORDINARIIS SANCTIMONIALIUM QUORUMCUMQUE MONASTERIORUM ALME URBS OBSERVANDAM.

Gasparo per la misericordia di Dio, Vescovo di Sabina, della S. R. C. Cardinale di Carpegna, della Santità di Nostro Signore Vicario Generale, etc.

« (37. Avendo determinato il Sacro Concilio di Trento nella sessione 25. cap. 10. de Regular. et Monialium doversi dare alle Monache due, o tre volte l'anno il Confessore straordinario: *Qui omnium Confessiones audire debeat*: più volte coll' esempio delle

Ordinazioni fatte dal Glorioso S. Carlo Borromeo, che si leggono negli Atti della Chiesa di Milano, e inerendo alle risoluzioni della Sacra Congregazione de' Vescovi, e Regolari; affinché la sudetta disposizione del Sacro Concilio abbia pienamente il fine, et l'effetto, per il quale è stata istituita, con varj Editti emanati dal nostro Tribunale è stato ordinato, che tutte le Monache siano obligate a presentarsi al sudetto Confessore straordinario, e benchè sia in arbitrio loro di confessarsi al medesimo, debbano però far quell'atto, *ut monita salutis recipiant, et actum subjectionis exercent*. E in oltre, che durante la facoltà del detto Confessore straordinario, non debba il Confessore straordinario in qualsivoglia modo impedirlo, nè accostarsi al Monastero, e molto meno ascoltare le Confessioni di alcuna Monaca, e ciò per giuste, e rilevanti cause, per le quali in qualche Sinodo diocesano si è posta, la scomunica *ipso facto* alli Confessori Ordinarii, ed alcune Religioni per Costituzione generale han proibito con pene gravissime alli Confessori Ordinarij delle Monache a loro soggette, se si accostano alli loro Monasterii nel tempo, chevi stà lo Straordinario. Che però la Santità di Nostro Signore inerendo alle sudette disposizioni ordina, et comanda alle RR. Madri Superiori, e Monache di tutti li Monasterii, e Conventi di quest'Alma Città, ed anche agli stessi Confessori Ordinarii, e Straordinarii delle medesime lo cose infrascritte.

« Primo, che in occasione, che si concede secondo il solito il Confessore Straordinario a qualche Monastero, debbano, come sopra, presentarsi al medesimo tutte le Monache, incominciando dalla Superiora, le Novizie, Educande, ed altre Secolari, che colle dovute licenze vi dimorano, sotto pena alle Superiori della privazione del loro Offizio, ed alle Monache della privazione della voce attiva, e passiva per un anno; siccome sta disposto dall'Editto emanato sotto li 18. Luglio 1603. d'ordine della san. mem. di Clemente VIII. ed alle Secolari sotto pena di esser licenziate dal Monastero.

« Secondo, che per tutto il tempo, che dura la facoltà concessa al Confessore Straordinario, non ardisca il Confessore Ordinario in qualsivoglia modo impedirlo, nè accostarsi al Monastero e molto meno sentire le Confessioni di alcuna Monaca, ancorchè sia la Superiora, Novizia, o Conversa, nè di altra persona, che dimora nell'istesso Monastero, nè queste debbano confessarsi al medesimo, sotto pena della privazione dell'Offizio al detto Confessore, ed alle Monache sotto le pene sudette, come parimente fu ordinato nel medesimo Editto.

« Terzo per conservare la pace nelli Monasteri, e per buona direzione, e profitto spirituale delle Religiose, ordina la Santità Sua alle Monache, e Secolari sudette sotto le medesime pene, ed a tutti li Confessori, Ordinarii, e Straordinarii, Secolari, e Regolari di qualsivoglia Monastero di quest'Alma Città, sotto pena di Carcere, ed altre ad arbitrio,

che finito, e terminato, che hanno il loro Offizio, non debbano più accostarsi alli Monasteri, nelli quali hanno sentito le Confessioni Sagramentali, nè tenere corrispondenza con qualsisia Monaca, inclusa anche la Superiora, Novizia, Educanda, o altra, che dimora nelli sudetti Monasteri, benchè sia per lettere, ed in materie di Spirito: essendosi osservato coll'esperienza, che simili corrispondenze, e direzioni spirituali partoriscono confusione, e scissure nelle Comunità Religiose, e quel ch'è più, la poca obbedienza alli Confessori Ordinarii, e Straordinarii attuali.

« Finalmente la Santità Sua ordina, che il presente Editto sia universale a tutti li Monasteri, e Case d'Oblate di quest'Alma Città, anche a quelli governati da Regulari, e che hanno Protettori particolari, ancorchè fossero gli Eminentissimi Signori Cardinali.

« Volendo, che il presente Ordine intimato, che sarà alli Monasteri, e loro Confessori, con lasciarne la copia, o l'esemplare, che dovrà star sempre affisso nel Monastero, e nella stanza del Confessore, abbia la medesima forza, come se fosse a ciascheduno, o ciascheduna personalmente intimato.

« Dato in Roma dalla nostra solita Residenza questo di 12. Decemb., 1708.

« G. Card. Vicario.

N. A. Can. Cuggiò Segr. »

(38. Confessarius Extraordinarius nunquam datur pro Moniali particulari. Eadem Sacra Cong. Epis. et Regul. in Panormitana 27. Maii 1603. (39. Nec perpetuus neque ad tempus. Ead. Sac. Congr. Epis. in Januensi 27. Apr. 1657, ex dict. sess. 25, cap. 10. (40. Nisi per Sacram Penitentiarum pro una vice tantum, vel de licentia Sacrae Congregationis, ut decrevit die 1 Septemb. 1645, et 11 Januar. 1647, apud Pignatell., loc. cit., num. 235. (41. Potest tamen Episcopus ex aliqua speciali ratione concedere Extraordinarium etiam Moniali alicui particulari, puta in articulo mortis pro serenitate moribundæ, quia cum in tali periculo animarum salutis omnibus mediis sit succurrendum, talis ingressus est, rationalis juxta exigentiam; cap. Unic. de statu Regular. in 6, et necessarius, juxta Conc. Trident. sess., 25, c. 5. Donat. prax. rer. Regul., t. 4, tract. 13, qu. 29; Passerin., de statu homin., tom. 2, quæst. 187, n. 291; Monacell., loc. cit. numer. 6; Bordon., in Miscell. decis. 47; D. Cajetan. de Alexandris, loco citat., cap. 6, § 13, quæst. 4, et alii.

(42. Confessarius Extraordinarius potest deputari a Superioribus quolibet anni tempore, et ad dies sibi benevisos, prout suadent circumstantiæ hic et nunc concurrentes, quia cum Concilium Tridentinum nihil determinet, neque circa tempora, in quibus fieri debet deputatio, neque circa dies pro audiendis Confessionibus concedendos, utrumque relinquatur arbitrio ipsorum Prælatorum. Praxis tamen fere communis est, ut dicta deputatio fiat unoquoque quadrimestri, et quoad dies alicubi determinantur quindecim, ali-

cubi plures, alicubi minores, et alicubi nulla sit temporis præfinitio. Unde in hoc servanda est consuetudo cujuscumque Diocesis, aut Ordinis, cum consuetudo habeat vim Legis, cap. Cum tanto 12, de consuetudin. (43. Dies autem determinati, verb. gr. quindecim, si non obstet, vel consuetudo, vel statutum aliquod particulare, incipiunt currere a die cœpti exercitii, quia tempus respiciens actum incipit cum ipso actu, ut tradunt Glossa in cap. Anteriorum 28, caus. 2, quæst. 6. Imola, Baldus, et alii.

(44. Tempore deputationis Confessarii Extraordinarii expedit, quod Ordinarius non accedat ad Monasterium. Immo pro Monasteriis Urbis hoc præcipitur expresse Confessariis Ordinariis sub pena privationis vocis activæ et passivæ, et privationis Officii, et sub eisdem penis prohibentur Moniales omnes ipsis confiteri pro tali tempore. Sic in adducto Edicto sub num. 37, § 3. Idem pro Confessariis Ordinis Minorum de Observant. disponunt Statuta Sambucana cap. 11, § 17, n. 12.

(45. Sic etiam expedit, quod Confessarii omnes, tam Ordinarii, quam Extraordinarii, tam Sæculares, quam Regulares, completo suo officio, et ministerio, non amplius add. Monasteria accedant, neque ob motivum directionis, et conferentiæ Spiritualis, neque correspondentiam etiam per litteras ob tale motivum tenere cum aliqua Moniali, inclusa etiam Superiorissa, Novitia, Educanda, aut alia quacumque inibi degente. Immo pro Monasteriis Urbis hoc expresse præcipitur omnibus diebus Confessariis sub prædictis, aliisque penis. Sic in dict. Edicto § 3.

(46. Prælati Regulares in Regnis Hispaniarum tenentur saltem semel in anno deputare pro Monasteriis sibi subjectis Confessarium Extraordinarium, aut Sæcularem, aut Regularem alterius diversi Ordinis; alias ipsum poterunt deputare Episcopi. Sic expresse statuit novissime Innocentius XIII. Constitut. 1, incipient. In supremo § 19, ibi: « Cumque ex eodem Concilio Trident. Confessor Extraordinarius bis, aut ter in anno offerri Monialibus debeat, qui omnium Confessiones audiat: si in posterum Superiores Regulares quoad Monasteria ipsis subjecta toties prædictum Extraordinarium Confessorem deputare neglexerint, vel si etiam ex proprio eodem Ordine semel deputaverint, nec saltem semel in anno ad id munus elegerint Sacerdotem, aut Sæcularem, aut Regularem alterius diversi Ordinis Professore, in his casibus Episcopi pro suo arbitrio, et conscientia deputatione hujusmodi facere possint, nec illa quovis titulo, aut prætextu a Superioribus Regularibus valeat impediri. » Et iterum statuit idem Benedictus XIII. Constit. 10, incip. Pastoralis Officii, § 7, graves penas imponens Superioribus contravenientibus, ibi: « Et quia mentis, ac intentionis nostræ est, ut remota quavis diversa intelligentia, et interpretatione, præcise serventur ea, quæ in eadem Innocentii Prædecessoris Constitutione super assignatione seu deputatione Confessarii ex-

traordinarii Monialibus sub Prælatorum Regularium gubernio viventibus disposita fuerunt, statuimus quoque: ut Superiores, qui decretum illud quocumque titulo, vel prætextu non servaverint, vel ejus executioni aliquod impedimentum directe, aut indirecte præbuerint ipso facto suspensionem ab eorum Officiis, nec non privationem vocis, tam activæ, quam passivæ incurrant. » (47. Et quod pro Monialibus subjectis Regularibus deputentur Confessarii Extraordinarii, etiam qui ejusdem Ordinis non sunt Regulares, jam decreverat Sacra Congr. 12 Julii 1577, in Neapolitana apud Pignatell., tom. 6, consult. 85, num. 235, in fine.

(48. Confessarii, et Capellani Monialium possunt celebrare Missas Sanctorum, de quibus ipsæ recitant Officium, sed cum Missali Romano, et de communi, non vero Missas proprias eorumdem Sanctorum variis Ordinibus a Sacra Congregatione concessa. Sic decrevit, ac servari mandavit Sac. Congr. Rituum die 20 Novemb. 1717, approbante et confirmante Clemente XI, die 1 Decem. ejusdem anni 1717; ut apparet in ejus Bullario decret. 28 Sacrae Cong. Rit. Nisi Moniales ab Apostolica Sede impetraverint, quod earum Confessarii, et Cappellani Missas proprias Ordini, quem ipsæ profitentur concessas, celebrare possint.

(49. Pro Confessariis Monialium, quamvis de Jure communi satis sit ætas ad Sacerdotium requisita, ut patet de Parochis, qui statim ac in Sacerdotio constituti, alia ætate non expectata, suorum ovium utriusque sexus Confessiones excipiunt; nihilominus Sac. Cong. Epis. et Regul. in una Venetiarum 2 Maii 1617, et 7 Jun. 1620, statuit Confessarios Monialium debere esse in ætate supra quadraginta annos. Quod pro Confessariis Ordinis Minorum de Observantia statutum etiam sua statuta Sambucana cap. 11, § 17, num. 1, et hoc extendi debet etiam ad Confessarios Extraordinarios; prout pro Reformatis declaravit Sacra Congr. Concilii in Cosentina 26 Novembr. 1689, lib. 38, decr. fol. 340. Et juxta Epistolam Encyclicam sub die 16 Martii 1703, de mandato Sanctissimi directam omnibus Ordinariis Italiæ, et Insularum adjacentium debent Confessarii Monialium esse ætate proveci, prudentes, zelantes, et vita exemplari conspicui. (50. Socii autem Confessariorum debent esse ætatis ultra quinquaginta annos, vitæque exemplaris, ut decrevit Sacra Congr. Episcop. et Regular. in Nolana 21 Februar. 1617, et Alexander VII. Constitut. incip. Felici § 9, statuit, quod Socii sint probatæ vitæ, et maturæ ætatis.

(51. Confessarii Monialium non possunt ingredi clausuram ad sepeliendas Moniales, vel pro celebrandis Exequiis. Sic expresse decrevit Sacra Congr. Episcop. et Regular. in Reatina 10 Martii 1577, in una Dominicanorum 30 Januarii 1582, in Ulyssiponen. 11 Augusti 1620. (52. Alias omnes culpabiles incurrunt Excommunicationem violatæ Clausuræ. Eadem Sac. Congr. Episcop. in Bononien. 20 Augusti 1596, apud Nicol., in

Floscul. verb. Sepultura, num. 6. Et de facto Alexander VII. Constitut. incip. Felici, § 9, specificans actus ad licitum ingressum Confessarii in Clausuram, non memorat ingressum ad peragendum Officium Funeris, sed solum ad peragenda alia officia, et ministeria, ibi: « Ad hæc Confessor Sanctimonialium, tam Ordinarius, quam Extraordinarius minime ingrediatur septa Monasterii, nisi ad Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, et Extremæ Unctionis ministranda Monialibus, vel aliis personis infirmis ibi degentibus, necnon ad commendandam animam agonizantium. » Ubi, ut vides, Pontifex utitur dictione Nisi, quæ est exclusiva aliorum cæterorum per Sperell., decis. 66, num. 32. (53. Neque consuetudo excusat a censura inflictæ adversus violatores Clausuræ, nec ab ea, quæ infligitur ab Alexandro VII, in dict. Constitut. incip. Felici, quia Pontifex omnibus, et singulis etiam consuetudinibus quoad ea, quæ statutis in dict. Constitutione adversantur, expresse, et specialiter derogat, sublata cuilibet facultate, et auctoritate aliter judicandi, et interpretandi, ac adjecta clausula decreti irritantis, ut patet in fine ejusdem Constitutionis. Unde sequitur, quod Episcopi, aliique Superiores in hoc casu jam declarato per Sac. Congreg. et Summum Pontificem, non necessario, non valeant licentiam concedere, nec permittere, et tolerare, quod prætextu consuetudinis (quæ potius corruptela est) Confessarii ingrediantur clausuram ad Officium Funeris peragendum. Hinc Confessarii caute legant Auctores contrarium scribentes, et reflexe advertant, quod si pro tali Officio clausuram ingrediantur, Excommunicationem incurrunt juxta supra laudata Decreta, ut recte affirmant Pax Jordan., tom. 2, lib. 7, tit. 12, num. 88, vers. Item neque prætextu, et n. 173; Nicolius in Flosculis verb. Sepultura, num. 6; ubi citata decreta affert Monacell., part. 1, tit. 9, formul. 3, num. 8 et 9; Matthæucci, Official. Curia cap. 13, num. 79 et alii. Videantur etiam Pignatell., tom. 6, consult. 85, num. 234; Gavant. in Manual. Episcop. verb. Monialium Clausura, num. 40; Barbosa, lib. 1. Jur. Eccles. univers., cap. 44, n. 133.

(54. Confessarius Monialium clausuram ingressus ad administrandum Sanctissima Sacramenta, recta via et absque diverticulo eat, redeatque, nec in alia Monasterii parte divagetur, etiam occasione visitandi alias infirmas, quibus Sacramentorum administratio non est necessaria. Sac. Congregatio Episcoporum et Regularium 13. Septembris 1583. apud Barbosam in Summa Apostolic. decis. verb. Confessarius Monialium, num. 2. Lezana in Summa quæst. Regular. tom. 3, verb. Clausura, num. 26. Gavant. in Manual. Episcop. verb. Monialium Clausura, n. 44. (55. Cum aliqua Monialis laborat in extremis, conceditur Confessario pernoctatio in sua solita mansione extra clausuram prope Monasterium, ut ingruente necessitate illico præsto esse possit vocatus. Eadem Sac. Congreg. Episcop. 22 Decembr. 1592. apud Pignatell. tom. 6, consult. 85, num. 233.